

sæ. Et quando dicit D. Augustinus XI de Trinitate, cap. VI, quod sunt distinctæ voluntates, videndi fenestram, et per illam videndi transeuntes, cum tamen hæc secunda sit finis primæ, respondetur loqui Augustinum de illis voluntatibus, quatenus respiciunt finem, et media, ut objecta terminativa distincta, et ut objectum quod diversum.

XVII. Ad confirmationem respondetur non posse aliquem eodem actu intendere finem, et media, conclusiones, et principia, si ista objecta attingantur ut terminantia actus suos, sic enim unus actus est causa alterius. Si autem attingantur ista objecta, alterum ut quo, alterum ut quod, sic eodem actu electionis potest utrumque attingi; in mediis enim virtualiter includitur finis tamquam dans illis rationem bonitatis. Et licet actus intentionis, vel virtus, aut determinatio ex illa relicta non includantur in actu electionis, sed causent ipsum, tamen in objecto electionis, quod est medium eligendum semper involvitur respectus ad finem, tamquam a quo habet bonitatem, et participat eam, et sic finis se habet ut ratio formalis illius objectiva, seu ex parte objecti se tenens, sicut lux ad colores. Et hoc modo utrumque eodem actu potest attingi. Cum autem intentio procedit de imperfecto ad perfectum, primo intendit finem ut assequibilem per media in confuso cognita, deinde in particulari discernit ipsa media, et tunc operatur, et influit finis intentus ad eligendum medium illud in particulari, vel formaliter si existat ipse actus intentionis, vel virtualiter prout permanet virtus talis intentionis in aliqua dispositione, vel determinatione potentie non retractata, eo modo quo explicatum est, et sicut assensus præmissarum influit assensum conclusionum.

XVIII. Ad id quod dicitur de odio unus, et amore alterius; intensione circa unum objectum, et tepeditate, vel remissione circa aliud, respondetur non convenire istas conditiones eidem actui numero, sed diversis, quatenus unus imperatur ab alio, verbi gratia ex amore Dei ut finis imperatur odium peccati, et quia ex illo procedit, dicitur odium illius virtualiter esse amor alterius, quia virtualiter operatur in illo, dum derivatur ex illo. Et voluntas sumendi potionem amaram potest formaliter esse remissa, et tepida, et cum quadam retardatione, virtualiter autem efficax, et vehemens, prout ex affectu efficaci sanitatis derivatur ista voluntas sumendi cum effectu potionem, licet retardante horrore amaritudinis; et sic efficacia, et intensio solum ibi virtualiter, et participative invenitur ex priori voluntate, non formaliter in se.

ARTICULUS IV.

Quid sit motio moralis, et physica: quid movens physicum, et morale voluntatis?

I. Dico primo: Objectum propositum per intellectum non movet voluntatem vera, et reali efficientia physica, sed solum per modum principii objectivi specificantis, quod pertinet ad rationem causæ formalis, vel per modum causæ finalis, cujus motio dicitur metaphorica, seu moralis, quia est allicientia qua finis attrahit, et allicit voluntatem: hoc enim est moraliter, seu metaphorice movere, ut distinguitur contra physicum impulsum, et motionem causæ realiter, et proprie influentis. Hæc conclusio duas habet partes. Prima, quod objectum non movet voluntatem efficienter cujus

oppositum Cajetano loco infra citando ex prima parte aliisque tribuitur: secunda, quod objectum solum movet formaliter. Sumitur tamen utraque ex D. Thoma hic q. IX, a. I, et I p. q. LXXXII, a. IV, ubi docet: « Quod intellectus movet voluntatem quoad specificationem, seu per modum finis ex parte objecti propositi, et voluntas movet intellectum quoad exercitium, seu efficienter. » Similiter in hac questione IX, a. I, docet de ipso objecto: « Quod movet intellectu determinando actum ad modum principii formalis, a quo in rebus naturalibus specificatur actio. » Et addit Quod isto modo motionis intellectus movet voluntatem sicut præsentans ei objectum suum. » Et hoc vocamus motionem moralem, scilicet allicientiam objecti ratione suæ bonitatis ut intentionaliter repræsentatæ per intellectum, ipsa enim intentionalis repræsentatio objecti quatenus repræsentative, et non physice effective movet dicitur movere moraliter, seu metaphorice. Ex eo autem quod D. Thomas ex professo tractat, et assignat cuilibet potentie suum modum movendi proprium, et distinctum, et intellectui non attribuit motionem effectivam, sed solum formalem, et finalem, voluntati vero tribuit effectivam, recte colligimus illi non esse tribuendam, alioquin diminutus esset D. Thomas non assignando illam.

II. Et fundamentum primæ partis conclusionis est, tum, quia duæ potentie non possunt se ad invicem movere in eodem genere causæ, sic enim essent simul causa et causatum, prius et posterius in eodem genere causæ, quod repugnat: sed voluntas est principium movens efficienter intellectum, quia movet per modum inclinationis, et impulsus; ergo intellectus non potest voluntatem movere in eodem genere

causæ. Et si cum intellectus moveat voluntatem proponendo, et præsentando ei objectum, utique objectum propositum non movebit voluntatem efficienter secundum veram, et rigorosam efficientiam; tum etiam, quia objectum propositum in tantum movet in vi objecti in quantum est bonum; ergo in eo genere causæ movet in quo bonitas potest movere; bonitas autem non movet efficienter, sed finaliter, quia movet ut appetibile alliciendo ad sui consecutionem, et ratione suæ perfectionis apprehensæ; ergo sicut finis non movet per efficientiam veram, et propriam, sed metaphorice, ipsam voluntatem, quæ in re est causalitas finalis, ita objectum, quod est bonum, non movet per veram efficientiam loquendo in vi objecti.

III. Et confirmatur, quia appetitus naturalis, verbi gratia, lapis fertur in suum finem, id est, in centrum, sine hoc quod centrum moveat effective lapidem, sed effective movetur a suo generante ut a principio movente ut quod, a gravitate autem, ut a principio quo instrumentali. Ergo similiter appetitus elicitus non movebitur a fine, et objecto efficienter, sed finaliter, et specificative, in hoc enim non apparet discrimen inter appetitum elicitem, et naturalem.

IV. Dices: Licet objectum moveat solum ratione bonitatis allicientis, quæ motio est moralis, tamen ipsa apprehensio, et actus intellectus efficientiam in voluntatem habere potest, quia est actus potentie moventis per imperium: nam imperium est actus intellectus, ut docet D. Thomas infra questione XVII, art. I. Imperium autem effective movet, quia imperium est applicativum, et impulsivum ad operandum, obligat enim ut fiat talis operatio, applicare autem, et impellere proprium est

efficientis. Ergo ipse actus efficienter movere potest, quidquid sit de ipso objecto, quod non efficienter, sed finaliter, aut specificative movet. Deinde, quia in divinis Verbum spirat Spiritum sanctum, non per modum causæ finalis, vel objectivæ, sed per modum principii productivi, et eo modo quo Pater æternus spirat, quia eadem spiratione producent; sic Verbum, et Pater productive spirant Spiritum sanctum: ergo etiam in nobis conceptus, seu actus intellectus productive, seu effective spirabit amorem in voluntate. Imo D. Thomas 1 p. q. xxxvi, artic. ii, ex eo probat, quod Spiritus sanctus procedit a Filio, quia necesse est quod amor procedat a Verbo, nihil enim amamus nisi secundum quod conceptione mentis apprehendimus; ergo amor effective est ab actu, seu conceptu intellectus, licet specificative, vel finaliter ab objecto.

V. Denique, illa determinatio, qua objectum determinat voluntatem, causam effectivam debet habere, alias daretur aliquid in rerum natura de novo positum in voluntate, quod causam effectivam non haberet. Si autem habet, hæc non est ipsa voluntas per actum suum; quia ista motio specificativa voluntatis, et ex parte objecti se tenens præcedit actum omnem voluntatis; ergo non procedit effective ab ipsa voluntate, quia a voluntate effici non potest, nisi mediante actu ejus. Ergo debet effective procedere ab intellectu, et per ejus actum; neque enim est alia causa a qua possit immediate procedere. A Deo enim effective procedit concursus, et motio voluntatis, prout causa universalis est, motio autem objecti est motio causæ particularis, et sic requirit efficiens particulare, quod non potest esse nisi vel intellectus, vel voluntas.

VI. Respondetur quod ipsa apprehensio non potest aliam efficientiam imprimere in voluntate, nisi mediante objecto repræsentato; movet enim intellectus voluntatem sicut præsentans ei objectum suum, ut dicit S. Thomas in hac quæstione ix, a. i. Nec enim repræsentatio et apprehensio alicujus rei aliter movere potest, quam ipsa res repræsentata, ratione enim illius movet ipsa repræsentatio, et non ratione sui. Verum est, quod in sententiam D. Thomæ voluntas ex conjunctione, et quasi radicatione in ipso intellectu aliquem modum participat in sua operatione, et efficientia, quem alias ex se non habet, scilicet quod modo procedat quodam comparativo, et collativo, quatenus eligit operando unum præ alio, qui modus collative procedendi ab intellectu participatur in voluntate, ut docet S. Thomas quæst. xxii de veritate, art. xii. Sed de hac communicatione perfectionis non loquimur in præsentia, quia hæc fit per emanationem, aut dependentiam unius potentiæ ab alia, quia istæ potentiæ ad invicem habent proportionem, et conformitatem in movendo se, et sic una de alterius modo reciproce participat in ipsa radicatione, et emanatione quam habet a suo principio. Nunc autem loquimur solum de illa impressione, seu communicatione qua ab objecto, et apprehensione ejus voluntas movetur. Et in hoc genere dicimus quod si objectum non movet efficienter, sed per modum finis, et appetibilis, ipsa repræsentatio objecti non potest movere efficienter, quia repræsentatio ipsa non est causans, sed applicatio, seu conditio objecti, seu finis ut causet; applicatio autem seu conditio alicujus causæ non transfert in aliud genus causæ, sed ad illud ipsum reducitur, cujus causæ applicatio, et con-

ditio est. Si ergo objectum, seu finis apprehensus, et repræsentatus efficaciter non concurrat, sed finaliter, vel specificative in quantum objectum, et repræsentatio, seu apprehensio ipsa solum operatur in virtute, et ratione rei repræsentatæ, non potest ipsa repræsentatio operari efficienter, quia solum operatur ut conditio, et applicatio illius causæ, non ut diversam virtutem, et diversum genus causandi secum importans.

VII. Unde ad primam probationem dicitur, quod imperium est actus intellectus non simpliciter, et absolute, sed ut moti a voluntate, et ex voluntate præsupposita procedentis. Et sic ab ipsa voluntate participat efficaciam, quatenus illam repræsentat, et ex illa efficaciter movet, ut infra circa quæstionem xvii dicemus. Quare licet ex propriis, quatenus quædam enuntiatio intellectus est, et ab illo manifestata, non moveat efficienter, ratione tamen sui præsuppositi, scilicet efficaciam voluntatis, quæ per illam denuntiationem intimatur, et quasi defertur, efficienter movet, et applicat rem imperatam.

VIII. Quod si de ista volitione, seu efficacia voluntatis præsupposita inquiratur, quia debet provenire ab aliquo imperio, et denuntiatione intellectus etiam efficaci; ergo vel debet præsupponere aliam voluntatem, et sic procedetur in infinitum; vel deveniemus ad aliquod imperium, quod ratione sui, et non ex efficacia voluntatis effective moveat, respondetur quod illa volitio unde originatur efficacia imperii, est volitio finis in cujus virtute voluntas movet ad media. Illa autem volitio finis non est ex imperio voluntatis, quia imperium solum se habet erga media, sed est ex Deo movente, si sit primus actus, in quo Deus se habet ut operans, et non ut cooperans, et

sic ipse est movens, et dans efficaciam ut propositio, et manifestatio intellectus excitet, et inspiratio voluntatis moveat, ut dicetur amplius infra circa quæstionem cxii, explicando divisiones gratiæ. Si autem non sit primus actus, erit ex alia priore voluntate, et ex illa poterit habere efficaciam propositio intellectus.

IX. Ad secundam vero probationem dicitur, quod Verbo divino convenit spirare amorem non solum ut quo, vel ut repræsentationi, et apprehensioni sicut Verbo, et conceptui nostro, sed etiam principio quod, seu personæ subsistenti, et habenti in se voluntatem, et vim spirativam eandem quam Pater; et sic producit amorem, qui est Spiritus sanctus non solum ratione apprehensionis, et repræsentationis, sed etiam ratione voluntatis, et virtutis spirativæ, quam habet simul cum Patre; nostrum autem verbum, et conceptus mentis non est persona subsistens habens in se voluntatem, et vim spirativam ut effective producat amorem tamquam principium quod, nec ut principium quo effectivum, quia est principium quo existens in voluntate, qua efficit illum amorem, sed principium quo repræsentativum, quod movet voluntatem repræsentando, et per metaphoricam motionem, non per propriam, et realem efficientiam. Unde non est simile de Verbo divino personali, et de nostro, quod non est persona.

Probatio autem D. Thomæ, quia necesse est, quod amor procedat a Verbo, optima est ad colligendum quod Verbum divinum debere habet influentiam spirativam in Spiritum sanctum. Quod vero debeat elicitive, et ad modum efficientis, seu producentis spirare, non colligitur ex præcisa ratione Verbi, sed quia Verbum subsistens, et persona est

communicans cum Patre in virtute spirativa.

X. Ad tertiam probationem dicitur, quod illa determinatio, et motio voluntatis, seu appetitus non potest esse effective efficientia propria a conceptu, seu apprehensione, quia illa solum monet metaphorice non proprie in genere motionis, seu efficientiæ. Producitur autem effective illa impressio ab ipsa voluntate ut spirante seu impellente se, et ponderante in objectum; quæ spiratio, et pondus identice, et realiter est amor, sed differt ratione, seu formalitate, et habitudine, sicut intellectio, et dictio differunt in intellectu, quia dictio exprimit verbum, seu conceptum expressum; intellectio contemplatur: sic in voluntate differunt spiratio, et amor, non realiter, quia unus, et idem actus est effective a voluntate elicited, sed formaliter, et secundum diversas habitudines, quia amor ille ut ponderans, et inclinans in objectum dicitur spiratio, ut veniens, et in viscerans objectum, et in illo conplacens dicitur amor. Sed tamen spiratio ista licet identice, et realiter sit amor, procedatque effective ab ea potentia a qua procedit amor, tamen objective est ab objecto proposito; et quia repræsentative, et intentionaliter per intellectum præsentatur, et movet, dicitur metaphorice, seu formaliter movere ex parte objecti proponentis, et sic ab ipso objecto non est effective efficientia propria et reali, sed metaphorica. Et licet spiratio, seu amor, ut spirans, et ponderans in voluntate sit effective a voluntate, tamen habitudinem, et respectum habet ad objectum, seu dependentiam ab illo, et sub hac habitudine, et dependentia dicitur voluntas, seu appetitus pati, et moveri ab appetibili, motu et passione metaphorica, quatenus determinatur, et inclina-

tur, seu ponderatur voluntas ab objecto, redditurque illi conveniens, et conjunctum. Et sic sub diversa habitudine, et respectu ista spiratio, et inclinatio voluntatis fundat diversas causalitates, et diversa genera causarum respicit: nam ut effective procedens respicit proxime voluntatem, et remote Deum, quatenus etiam effective immutat voluntatem, ut istam inclinationem, et spirationem producat, aliquid in illa immittendo, et determinando ut inclinetur, sicque resolvit durtiam cordis. Ut autem dependet ista spiratio ab appetibili, et ab eo movetur, seu patitur voluntas ut a metaphorice movente, et finaliter alliciente, dicitur esse causalitas finis, ut explicuimus in physica quæst. XIII, a. II, et in secundo tomo theologiæ, disp. XII, a. VII. Ut autem dicitur habitudinem ad objectum ut ad principium formale specificans, dicitur habitudinem causæ formalis extrinsece specificantis. Plura de hac spiratione, et immutatione voluntatis ad amandum possunt videri citato loco primæ partis secundi tomi.

XI. Secunda pars conclusionis, scilicet quod objectum concurrat per modum finis, et causæ formalis clare deducitur ex dictis, quia objectum concurrat ut appetibile, et bonum; bonum autem, et est objectum voluntatis, et finis; objectum quidem, quia est specificans voluntatem, et distinguens illam ab intellectu, qui fertur in objectum suum sub ratione veri, et non boni. Est autem finis, quia est id cuius gratia appetuntur media. Ergo appetibile, et bonum utramque rationem causæ induit, finalis, et objectivæ. Motio autem objecti per intellectum propositi voluntati dicitur moralis, et metaphorica, ratione jam dicta, quia per modum repræsentationis movet voluntatem, eamque allicit,

non efficienter impellendo, sed sua convenientia repræsentata attrahendo.

QUIBUS CONVENIAT MOVERE MORALITER VOLUNTATEM?

XII. Dico secundo: Intellectus, et appetitus sensitivus movent voluntatem morali motione ratione convenientiæ objecti repræsentati, non efficienter, et physice immutando voluntatem. Unde quæcumque agentia, quæ voluntatem movere non possunt, nisi vel mediante passione excitata in appetitu, vel mediante apprehensione repræsentante in intellectu, non movent voluntatem, nisi moraliter. Et omnis creatura extra voluntatem existens, solum aliquo ex his modis potest movere voluntatem, quia solum per has portas, intellectus vel appetitus potest ad voluntatem intrare, imo appetitus non nisi medio intellectu.

XIII. Conclusio est certa, quia omnes istæ potentia, et agentia, quæ mediis illis voluntatem movere possunt, non movent nisi mediante propositione intellectus, et mediante allicientia bonitatis, et convenientiæ objecti; ergo movent moraliter: nam motio moralis, est quæ media allicientia objecti fit. De intellectu id affirmat S. Thomas in hac quæstione IX, a. I, quia intellectus movet præsentando objectum voluntati; ergo movet tantum quantum movet objectum præsentatum: hoc autem solum mediante bonitate, et convenientia sui allicit, et movet; ergo moraliter. Et hoc ideo est, quia intellectus ex propriis non movet, nisi manifestando, et repræsentando; manifestatio autem, et repræsentatio non potest movere (ut jam diximus) nisi mediante ipsa bonitate, et convenientia rei repræsentatæ.

XIV. De appetitu sensitivo idem sumitur ex hac quæstione IX, art. II, quia appetitus non tangit, neque immutat immediate voluntatem, cum sit materialis, et sensitivus, sed ex affectu ipsius disponitur homo ut videatur ei aliquod objectum conveniens, si sit conforme illi affectui, vel disconveniens, si sit contrarium, quia qualis unusquisque est tale objectum videtur ei, id est, juxta modum quo est dispositus, et affectus, sic apparet ei objectum conveniens, et disconveniens. Cum ergo convenientia, et disconvenientia sint conditiones ipsius objecti, si appetitus in tantum movet voluntatem, in quantum facit apparere ejus objectum conveniens, vel disconveniens respectu ipsius, consequenter appetitus non movet nisi ratione objecti, quia movet ratione convenientiæ ipsius. Et quia appetitus sensitivus versatur circa singularia immediate, et singularia vehementius movent, quam res in communi, quia singularia sunt in statu existendi, et habendi circumstantias, in quo solo statu possunt acquiri, et obtineri, et hoc maxime movet, et efficacius, quando res in statu acquisitionis, et existentia consideratur; ideo passiones, seu affectus appetitus sensitivi vehementissime movent, quia trahunt, et alliciunt secundum convenientiam rerum in singulari, et determinate consideratam, et in statu existentia, et acquisitionis secundum experientiam cognitæ. Dices: Eadem ratione, qua appetitus sensitivus non potest agere in voluntatem, quia hæc spiritualis est; illa sensibilis, etiam non poterit agere in intellectum quia spiritualis est; ergo non poterit mediante objecto movere voluntatem, quia objectum non nisi per intellectum manifestatur voluntati, et ita si non movetur intellectus, quia spiritualis est, neque mo-